





Q. D. B. V.

**CIBOS**  
**HEBRAEORUM**  
**PROHIBITOS**  
**DISPUTATIONE I.**

expositos,

**PRAESES,**

**M. MICH. HENR. Reinhard /**

& Respondens,

**SEBASTIANVS Müller /**

uterque

Hilperhusâ-Francus,

placido συμφιλολογούντων Examine exhibebunt

*Ad D. XVI. Junii. Ao. 1697.*

---

WITTEBERGAE, Typis JOHANNIS HAKII.

V I R O

*Maximè Reverendo, Excellentissimo, Amplissimo ac Doctissimo,*

DOMINO

CRISTIANO Hoffkuntz /

SS. Theol. Doctori celeberrimo,

Ecclesiae Torgaviensis Pastori fidelissimo, Vicinarumque Superintendenti vigilantissimo &c.

nec non

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo Prudentiaque solidà insigni,*

DOMINO

JO. JACOBO Hierich /

Ejusdem Reipublicae Consuli

gravissimo, &c.

Patronis meis summis, Fautoribus & Consanguineo  
aeviternum colendis, suspiciendis,

Cum hoc, quicquid est, Studiorum Academicorum  
specimine me meaque

dico, sacro

PRAESES!

**A**ldax omninò Judaeorum quorundam videri posset assertum, quò omnem planè, cujuscunqve tandem illa generis sit, carnem hominibus ante diluvium veritam fuisse, tradunt, ita ut meris ferè oleribus arborumqve fructibus vesci, lex divina ipsis tunc permiserit. Et haec est *Aben Esrae* in Gen. I. 29. 30. commentatio, quandò ex verbis *הנה נתתי לכם* *Ecce dedi vobis*, &c. tali modò ratiocinatur: Hisce Creator Adami filiis omniqve animali vivo comedere concessit. Herbas atqve arborum fructus, quales quales sint, homini dedit, gramina relinqvens bestiae, etiam repenti. *וער כה* *— לא התיר הכשר ער אחר המבו* *Et sic non priùs carnem comedere permisit, quàm post diluvium.* *Jarchii* quoqve in eundem locum, ita differentis: *Adamo ipsiusqve Uxori haud erat licitum, creaturarum quandam occidere, ולאכול בשר* *Et earum carnem comedere.* Cum verò venirent filii Noae, *התיר להם בשר* *Carnem ipsis DEUS concessit.* Probat id ex Gen. IX. 4. ubi haec legas: *כל דורש* *אשר הוא חי לכם יהיה לאכלה כירק עשב נתתי לכם את כל* Atqve eò etiam redeunt in *Bereschit Rabba* sect. 34. in *Conciliat.* *Menasse Ben Israël* q. 10. in *Genes.* item in *Lib. עקרים* *Josephi Albo*, parte III. c. 14. 15. & in *Gem. Sanhed.* cap. 7. ubi praesertim *R. Jochanani* sententia infertur, quem vel unum reliquorum in hòc antesignanum facilè dixerim.

II. Et sanè, si fatendum sit, quid liberè de eà re sentiam, non adeò absurdam ego quidem existimaverim, ubi praepri-  
mis in eò subsistatur, ut nullam ante allatum hunc *Geneseos* lo-  
cum concessionem carniū edendarum affirmari posse, imò  
etiam nullas tunc, à *DEI* praepri-  
mis, qui vocantur, filiis, co-  
mestis esse, dicatur; Quamquàm hòc ipsò carnem cibis à sum-  
mò *Conditore* planè prohibitis non statim cum *Judaeis* annu-  
meraverim, ut quâ ratione *Sapientia coelestis* à sententiâ, vel  
absqve

absqve causâ immutatâ, absolvi vix posset. Illi certè, qui in con-  
trariam partem descendunt, ut B. Calovius, Rungius &c ipsi-  
met fermè nostrae sententiae non adeò abnuunt, modò ne pro  
consuetudine inferamq mandatu quoddâ, atqve interdictionē,  
qvin existimes, non adeò longè ἀπὸ τῆς ἀρχῆς illos abfuisse, quae  
verò acrius disputant, Grotio, & qui cum ipsò, modò dictò, Ju-  
daizant, tantùm opposita arbitratus fuerim. Neqve verò colla-  
ta duo Mosis testimonia quenquam aliter sentire patientur, ni-  
si manifestam vim textui liberiori qve interpretandi regulae in-  
ferre velit, licet, praeter ista, ipsam hanc explicationem, si qvi-  
dem mei illud fuisset instituti, aliis adhuc fundamentis corro-  
borare potuissem. Sufficit nobis, in praesens demonstrasse, pri-  
mam hanc fuisse cibi speciem, à cujus esu societas humana, ni o-  
mnis, quod tamen haectenus argumentò firmiori negatum non-  
dum fuit, pars certè ejus abstinuit, donec tandem observatam  
hucusqve consuetudinem supremo Legislator Noae rectius ex-  
plicuit, quò eqvidem imposterum carne ipsi suisqve vesci liceat,  
câ tamen simul additâ conditione, ut, quod antè forsan unum  
fuerat, quare nulla planè caro comesta est, separent benè atqve  
emittant sanguinem. Ita Moses, comm. 4. אַךְ בֶּשָׂר׃ בְּנֶפֶשׁ׃ רֵמוֹתָ׃ לֹא  
תֵאכְלוּ *Carnem tantummodò in animâ sanguinis sui, i. e. quae à  
sanguine nondum est expurgata, & Rabbinis membrum ani-  
malis vivi dicitur, ne comedatis, quemadmodùm vulgò inter-  
pretantur, aut, quod rectius videtur, juxta Maimonidem de ci-  
bis prohibitis, cap. 5. carnem cum vitâ, hoc est, sanguine non comedetis,*  
ubi nequaquam existimandum est, quasi traditio illa Hebraeo-  
rum, de membrò bestiae viventis, hîc solummodò intelligi de-  
beat, sed omninò B. Calovio, egregiè in h. l. differenti, assenti-  
mur, quòd omnis in universum sanguis, qualiscunqve demùm  
sit, & ubi deniqve ille retineatur, hîc intendatur, exceptò tamen  
sanguine piscium, locustarum, reptilium, & hominum, juxta  
Maimonidem de cibis prohibitis, cap. 6.

III. At-

III. Atque is alter cibus, aut, si magis propriè loqui velis, verè primus, quem homini vetitum esse, sacra pagina testatur. Disputant curiosi, quæ ratio sit genuina, ob quam commotus fuerit Deus, ut tam seriò ac sæpe sanguinem prohiberet. Infirma admodum *Maimonidis* est in *More Nevochim*, III. 46. Ubi factum hoc fuisse dicit propter Zabaeos [gentis nomen ferè incertae, quam Samaritanam alii, Vid. *Buxtorf. Cosri*, 109. alii veteres Chaldaeos, fuisse asserunt; & nescio, utrum vel ipsos Arabum *أرنا* intelligam, quos paganos volunt, respicientes Septentrionem in Oriente, aut etiam illos, qui Nöemi, aut, qui primi Mosis & Muhammedis aeseclae fuerunt. Conf. in eam rem *Pocokiz Hist. Dynast.* 10. 95. & 108. *Hist. Arab.* 138. *Coran. Sur.* 2. 61.] quod isti sanguinem ideò tantum comederent, ut cum Diaboliis, quorum cibus eum proprium putabant, conversari possent. Non *equividem miror Judaeum*, at undè eruditissimus alioquin Origenes eò delapsus fuerit, ut Daemones sanguine pasci traderet, adeoque Hugoni Grotio in Act. XV. 20. ansam dederit, ut hoc inter coeteras hujus mandati causas poneret, vix intelligimus. Fabula est, quam narrasse satis esto.

IV. Illi *equividem* dicunt aliquid, qui cum Osiandris duobus, Andrea & Lucâ in h. l. Grotiò item l. c. sanguinem ideò interdictum autumant, ne bestiarum sanguinem, aut membra, à sanguine nondum repurgata, comedendò, crudelitati assvescerent, ac in homines tandem etiam saevirent; *Solent enim*, inquit Hugo, *qui sanguine pro alimentò utuntur, efferari, quod Americani docent.* Ubi simul addit aliam rationem, quando pergit: *Monet etiam à vindictâ abstinendum, cum, qui se vindicat, sanguine pasci dicatur;* quam Phrasin tamen de oculis potiùs, quam ventre in vindictae cupidò intellexerim. Verum autem verò, utrum causa haec sufficiat, non video. Neque enim Christianorum quispiam, aut hominum aliorum, qui per tot Novi Foederis secula sanguinem, modò nobis usitatò, paratum, comedit, unquam ideò naturâ suâ efferatior evasit, nisi illum dicas, qui cru-

ad sanguine fructus est, ac tales quidem etiam sunt Americani, quos infert Grotius. Non tamen arbitratus fuerim, quoniam hic loci Moſen crudum ſolummodo ſanguinem intellexiſſe, affirmaturum. Quid ergo? Sola, quae à primis ſtatim eſt introducta, ſacrificiorum exhibendorum ratio mandati huius cauſa maxima erit ponenda. Etenim ubi peccarat homo, peccator verò Deo rursus conciliandus erat, illico huic expiationi ſanguis in altare ſpargendus, aut effundendus deſtinatus eſt. Hinc Dominus ipſe, *Leu. XVII. II.* וְאֵנִי נֹתְתִי לָכֶם עַל הַמִּזְבֵּחַ לְכַפֵּר עַל נַפְשֵׁיכֶם  
*Quò respectu, inquit B. Dorschaeus, de ſang. & ſuffocato, omnis ſanguis ab eſu humano intercluſus eſt, quamdiu illa deſtinatio durat. Durat autem tantum ad Meſſiae uſque & uelut uoluit Heb. IX. 21.*

V. Et hoc eſt praeceptum, quod traditionis de Noachi filiis numerum ſeptenarium explere debuit. Sex enim tantum praecepta data fuerant Adamo, homini omnium primo, ſcilicet, de idololatriâ; de benedictione Numinis; de effuſione ſanguinis; de revelatione turpitudinum; de rapinâ; de iudiciis adminiſtrandis, quamuis haec ipſa deinde à Moſe quoque, Doctore, tradita ſint. His ſex tandem additum eſt mandatum de membrò vivi animalis, ut ita fierent in uniuerſum ſeptem praecepta. Conf. *Maimon. in Hal. Melach.* Quodſi ergò quis ex peregrinis cum Iudaeis conuerſari uolebat, tenebatur, ſeptem hiſce praeceptis ſeſe adſtringere, & tunc dicebatur גֵר תוֹשֵׁב *Proſelytus portae*, ſ. inq. וְשָׂקַבְלָה עָלָיו שְׁלֵא יַעֲבֹד עֲבוֹדָה זָרָה עִם שְׂאֵר הַמִּצְוֹת שֶׁנֶּצְטָו בְּנֵי נֹחַ  
*Qui idololatriam rejecerat, & coeteris ſimul praeceptis, quae data ſunt filiis Noae, ſe addixerat, quod nomen ipſi imponebant, ut diſtingueretur à גֵר צָדִיק *Proſelytò iuſtitiae*, qui jam baptizatus, inque numerum Iſraëliitarum receptus erat, notante Maimon. Hal. Iſſure Piah. cap. 14.*

VI. Mitto praecepta reliqua, & ultimum tantum, Maimonideſ. antè c. duce, ulterius expendo, ita ille: *Incūbit Proſelyto tali praeceptum de membrò animalis vivi cuiuſcunqve demum generis animal illud ſit; Licita tamen eſt ei effuſio ſanguinis animalis vivi.*

*Memo*



*Membrum autem illud, aut caro, sive à jumentò, sive ab animali vi-  
 vo sumatur, idem est. Quantum ad volatilia, Profelytum propter  
 membrum vivum ipsorum, morte debere multari, non jud. co.: Tan-  
 ta namque horum praeceptorum erat vis, ut, eodem Maimonide  
 teste, gladii supplicio afficeretur, qui vel in unum ex illis peccas-  
 set, ut ut etiam nondum planè demonstratum esset facinus, mo-  
 dò duabus praesentibus personis fieret, iudice alterà, alterà te-  
 ste, ubi tamen feminae non admittebantur; Atque adducitur  
 in hanc rem, historia illa atrox admodum, quam Jacobi filii  
 cum Sichemitis patraverè, quòd Sichemici ves vel ideò ad u-  
 num omnes facti sint rei mortis, quoniam singuli sceleris con-  
 scii impunè adeò furtum tantum committere Sichemo permi-  
 serint; quod si tamè imprudens, aut absque intentione, aut co-  
 actus modò errasset, ab omni poenà erat immunis: Pergit nunc  
 Rabbi N. In genere quicquid Israëlitis de membrò animalis vivi  
 prohibitum est, illud & ad Profelytos spectat, quid? quod hi etiam  
 interdum rei fieri possint, ubi tamen nullus Israëlita; cum praeceptum  
 suum observare teneantur circa jumenta aequè atque alia animalia,  
 tam pura, quam impura. Nam Judaeis e. g. sanguis piscium, lo-  
 custarum & reptilium, modò munda essent illa, prohibitus non  
 erat, ut observat Maimon. in Maacaloth asuroth, c. 6.*

VII. Traditio haec, ut ut non planè absurdam appelle-  
 mus, suis tamen fundamentis, quae debebantur, non adeò fir-  
 mis inniti nobis videtur, cum sanè res haec omninò tanti mo-  
 menti fuisset, quae à Mose sacris consignaretur literis, quin  
 & satis manifestum sit, Adamo pariter ac Noae praeter illa  
 septem praecepta, alia adhuc esse tradita, non minùs obser-  
 vanda, atque enumerata ista. Praeceptum sanè Adamo da-  
 tum fuit de sacrificandò, atque ita typicà quàdam ratione  
 referendò semen mulieris, Servatoris optimi. Neque enim  
 hic Papicolis quibusdam calculum nostrum addimus, qui ar-  
 bitrantur, sacrificiorum cultum ex solius rationis iudicio de-  
 pendere, hominesque naturali quòdam jure ad istum obli-  
 gatos

gatos fuisse. Ipse namque DEUS, quâ ratione colit, de-  
clarare ac revelare debet, & mihi nequaquam persuaserim,  
*ἐθελοδρασκείαν* quendam Col. II. 23. DEO adeo gratam fuisse. Ac-  
cedit, quod illa gratia ex solâ, ut loquuntur, fide huic ceremoniae  
accesserit, Heb. XI. 4. quae verò nulla, nisi adsit verbum revelatû,  
Rom. X. 17. Sed haec Theologorum scholis vindicanda relinqui-  
mus, cupidò interea lectore ablegatò ad B. *Dorschaei Mysariam*  
*Myssae*, contra Herberum quendam, Molsheimensem Jesuitam,  
conscriptam, ubi egregiè hunc errorem discussum habebit. Quod  
verò eadem haec traditio inter Judaeos longâ admodum tem-  
poris serie in distingvendis profelytis fuerit observata, auctori-  
tati Rabbiorum non adeo abnegabimus.

II. Patebit tamen ex hoc, quid de sententiâ Grotii, &  
qui eundem sequuntur, sit habendum. Ille namque causam ef-  
fati Jacobaei Act. XV. 20. circa *ἰὸ δέμα καὶ πικλόν*, abs quibus ad  
tempus abstinere debebant Christiani novelli, evoluturus, in-  
quit, in Ecclesiâ Veterum fuisse creditum, illud ex his à nobis  
declaratis Adami Noaeque praeceptis ortum esse, quasi haec  
firma, solidaque à Christo fuerint relicta, imò verò etiam quae-  
dam iis addita. Et omninò concedendum, idem quoque à *Ter-*  
*tullianò de Monogam.* doceri, atque à paucis quibusdam Impera-  
toribus imperari, caetera, quae ex *Canone Apostolicò 62. & Syno-*  
*dò Gangrensi* affert, ceu suspecta, non curantur; Verùm Tertul-  
liani illud, cum jam ad Montani haeresin prolapsus esset, de-  
mum scriptum, Imperatores autem legibus suis ad alias occasio-  
nes respexisse, solide ostendit *Dorschaeus in peculiari dissert. de*  
*Sangu. & suffoc.*

IX. Quicquid sit, certum est, interdictionem illam san-  
guinis, ab Apostolis factâ, huic Noachidarû juri minimè originè  
suâ debere, quod jam ante *Seldenus, de Jure Nat. & Gent. Lib. 7. cap.*  
*12.* prolixè ostendit, illud tamen negari non potest, eandem eam  
fuisse cum nostrâ, quam Vetus Instrumentum docet, licet am-  
bae diversam rationem, variumque finem obtinuerint, quam  
qui-

quidem disputationem nostram in praesens non facimus. Neque hinc audiendi erunt, qui per sanguinem l. c. homicidia intelligunt, quae vel sola praecepta naturae prohibebant, atque à quibus ipsae etiam gentes ultrò abhorrebant. Et si neque hoc, angelos conversi ad Mosen reducendi erant, qui jam Evangelium pacis & charitatis amplectebantur?

X. Offert praeterea locus Actuum nobis occasionem accuratius non nihil inquirendi in varios, quos Hebraeorum Magistri docent, modos ac differentias sanguinum prohibitorum, cum aliud *δαιμα* dicatur, aliud *πυλὸν* sive suffocatum. Illi certè diversi modè loquuntur de hac ipsà re. Ita quaeritur in *Cberithuth fol. 76. 2.* *Quare prohibetur sanguis quingvies?* (Scilicet Gen. IX. 4. Lev. III. 17. VII. 26. XVII. 10. & Deut. XII. 16.) *Ut simul indigetetur sanguis animalium non sacratorum, & sanguis sacratorum, & sanguis pulvere cooperiendus, & sanguis אבר החי Membri bestiae adhuc viventis, ודם המצות & sanguis expressus, videlicet per venarum sectionem, aut alià quâdam ratione. Et huc pertinet distinctio, quae habetur in Sanbedrin fol. 59. i. inter אבר מן החי Membrum bestiae adhuc viventis, & דם מן החי Sanguinem bestiae adhuc viventis. Prius per illud interdicitur: Verùm carnem cum vitâ, i. e. sanguine ejus non comedetis, posterius: nec comedas, scilicet sanguinem eductum per Phlebotomiam, vel aliò modò ex omnibus animalibus. Plura vid. in *Pesiktâ, in Deut. XII. & R. Sal. in Gen. IX.* & alibi. Illud tantùm addimus, nimirùm sanguinem in carne adhuc latentem esse, vel, quando haec non est ritè maectata, aut in נבלה Morticinò, aut in לרפה Laceratò, scilicet à feris.*

XI. Has distinctiones, nisi omnes, plurimas saltèm, Rabinorum traditiones appellamus, cum, quae ab iis in eam rem afferuntur testimonia sacra, non nisi coacta sint, & verè de sanguine generatim loquantur, quin ipsimet hoc non adeò abnuant; Ità, quantum ad membrum bestiae viventis, ipse magnus

B

ille

ille Juris Hebraeorum interpres, ut CL. Lighfootio audit, *Maimonides in Maacaloth asuroth, cap. 5.* ingenuè fatetur, quòd traditione acceperint, illam loqvendi formulam, quâ in lege dicitur: *Non comedes vitam cum carne*, prohibere membrum ab animali vivò abscissum, & de מן החי מן הבהמה *Membrò bestiae viventis* intelligi locum Gen. IX. 4. Vbi DEUS ad Noam: *Verùm carnem cum vitâ, hoc est, sanguine non comedetis.* At verò, cur ob hanc traditionem excludamus modos reliquos sanguinum à Deò prohibitorum, non videmus, si vel illud etiam concederemus, quòd tamen nondùm evictum, hoc primariò intendi. Coeterùm membrum animali vivo abscissum, pertinet tam ad animal cicur, quàm ad bestiam feram atque avem, si mundae essent: Etiam perindè fuit, sive id ossa haberet, qualia pedes fuissent, sive careret istis, ut lien, pulmo, renes, testiculi, & quae hujus generis sunt, neque referebat, sive totum, sive pars tantùm ejus fuerit dissecta, docente sic Maim. l. c.

XII. Atque hoc membrum bestiae viventis, aeqve ac *יחי מן החי sanguinem ex animali vivò expresum* l. c. Actuum per *το αίμα*, veteris Instrumenti stylò, innui simul, certi sumus. *το πικρὸν* verò nequaquam illa *κρέα καὶ πικρὰ* *Athenaei l. 9.* quippe quae nullâ ratione hùc quadrare possunt, sed sanguinem in bestiâ non ritè maceratâ, in Morticinò & Laceratò nobis significabit, in quò nobiscum facit *B. Dorschaeus* l. c. quandò inquit, *πικρὸν est, sive homo suffocaverit, sive bestia, sive ex aliò casu impedita sit deductio sanguinis*, quò forteàn etiam tendit Canon, ut vocatur, *Apostolus* 62. *ἐν τῷ κρέατι καὶ ἐν αἵματι ψυχῆς ἀνθρώπου, ἢ θηρίου, καὶ ἄλλου ὅτι θνητοῦ* & c. licet obscurum adhuc sit, quid sibi velit per *κρέα ἐν αἵματι*, ut vel hoc Canonem supposititium prodere queat.

XIII. De priori hujus *πικρὸν* specie agitur in tractatu *Cholin* longâ quidem, sed admodùm obscurâ serie, videtur tamen, potuisse ejusmodi carnes interdùm ita praeparari, ut eos impunè comedere liceret, quod *ex f. 33. 1.* hujus tractatus colligere est, verba

ba haec ferè sunt: *Qui de animali comedere vult, antequàm exeat  
ejus vita, sumat particulam ad quantitatem olivae ex ejs carne in lo-  
cò, ubi mactatur, eamque admodùm benè saliat ac lavet, expectet  
deindè, donec exeat vita bestiae, banc comedet impunè Peregrinus  
pariter atque Israëlita.*

XIV. Morticinum & laceratum in specie quoque sacra  
litera prohibet Lev. XVII. 15. Deut. XIV. 21. Comprehendun-  
tur sub iis bestiae aequè atque aves. מבלה Morticinum erat,  
quod mortuum est, (sine mactatione) טרפה verò, seu lacera-  
tum, quod vel à ferâ, vel ave laceratum inveniebatur, morti-  
què proximum erat, licet & illud laceratum vocarent, cujus caro in  
mactatione cultri quòdam vitiò lacerabatur, & hoc poterat  
Profelytis vendi, ut comederent, aut aliâ ratione in usum su-  
um converterent. Vid. *Maim. de Maacalotb asuroth, cap. 4.*  
Tanto verò piaculo res ista fuit, ut, quod alioquin licitum est,  
ob suspicionem de טרפה sive hujusmodi laceratò, prohibere  
non unquam vellent, ut carnes coëmantur in macellis Ethnico-  
rum, praepriis, cum id aliquando accidisset cuidam, qui la-  
ceratum à gentili acceperat, nisi tandem Rabbi casum istum ita  
decidisset, הכשב ל שוטה זה *Num propter stultum hunc, qui fe-  
cit, quod non decebat eum, כל מקורין נאסר כל מקורין omnia macella prohibe-  
bimus?* ut legere est apud *Gemaristas in Cholin f. 18.* ubi simul i-  
psa historia recensetur.

XV. De sanguine humano nullum Judaei agnoscebant  
mandatum divinum, sed tamen ex legibus scribarum idem ille  
prohibitus erat, quae interdictio tanti ferè habebatur, quanti  
reliquae divinae omnes. Dentium tamen sanguis deglutiri po-  
terat, nisi pani adhaereret, ubi abradi debebat, ut refert *Maimon.*  
l. c. cap. 6.

XVI. Jam ad poenas, quae manebant eos, qui in hoc  
de non comedendò sanguine peccarant. Deus sanè transgres-  
sioni illi ipse adjudicat excisionem Lev. VII. 27. &c. quòd si ve-  
rò Judaeos audias, quaestionum & distinctionum variarum fi-  
nem



nem vix invenias, omnes tamen ferè eò redeunt, ut non reum excisionis facerent, nisi propter *comestionem sanguinis, cum quò exit vita*, idqve debebat ex proaeresi esse factum, nam si per errorem peccavissent, sacrificio pro peccatò erant obnoxii. Dicitur autem ipsis sanguis, cum quò exit vita, ille, qui fluit tempore maçtationis, incisione narium, amputatione capitis, sic etiam, qui collectus est in corde, & qui per Phlebotomiam emanabat. Quòd si verò sanguinem membrorum, splenis scilicet, renum, testiculorum, & qui tempore maçtationis circa cor colligitur, aut in liene reperitur, vel etiam membrum animalis vivi, de morticinò, aut laceratò comedisset ad olivae quantitatem, excisionis reus non fiebat, interim tamen flagris caedebatur. Rationem hujus distinctionis, nescio, an ineptam dicam, ex eò depromunt, quòd de reatu ad excisionem dicatur, *quia vita carnis est in sanguine*, de reliquis verò tantum, *nullum sanguinem comedetis*. Qui plura desiderat, adeat *Maimon. in Maccaloth asuroth, c. 4. 5. & 6.* Vndè etiam haec sunt deprompta.

XVII. Post sanguinem ponimus Adipem Lev. III. 16. 17. & VII. 23. seqq. potissimum prohibitum, ille verò non praecise omnis interdicebatur, sed bouum tantummodò, agnorum & caprarum utriusqve quidem sexus. Reliquarum enim bestiarum, eicorum aeqve ac ferarum, mundarum immundarumqve licitus manebat, ac non secus atqve ipsa caro comedi poterat, nisi de morticinò, aut lacerato esset, ubi etiam adipem prohibitum in usum quidem suum, qualem qualem, convertere poterant, modò ne comederetur. Sed neque trium istorum animalium, jam dictorum, adeps omnis vetitus erat, verum ille tantum, quem Deus offerendum sibi destinaverat, qualis fuit adeps super intestina, super ventriculum, super renes, & super alia graciliora in radicibus laterum introrsum, ad quae referuntur etiam cauda ovium, renes & reticulum jecuris; Ita adeps intestini crassi, pelliculae lienis, iliorum ac renum comedi non

pote

proetant. Adeps verò durus, latens inter ilia, aut intra cor, iliorum icem convulutorum minutissimorum erat licitus Vid. *Maimon. in M. vacat. asur. cap. 7.* Causa interdictionis hujus per se patet, atque eadem, quae de sanguine allata, erit, ut adeò ridiculam illam, in *More Nevach. III. 48.* traditam, minimè curemus, quasi nimirum ideò hoc factum sit, quòd nimis faturet, impediat concoctionem, & frigidum crasumque sanguinem causeatur. Si quis igitur adipem talismodi veritum comederet ex proaeresi, excisionis reus erat, Lev. VII. 25. pro errore autem sacrificium pro peccatò offerebat.

XIIX. Adipem excipiat Nervus luxatus. Videlicet, cum Jacobus Gen. XXXII. 25. seqq. in luctu illò, quem cum DEÒ sustinuerat, luxationem cruris passus, reverà claudicaret, (ut adeò mystica *Augustini l. 16. de Civitate Dei cap. 39.* explicatio ipsi sit relinquenda auctori, neque etiam *Tostatus aut Junius* audiendi, qui Jacobum die sequenti sanatum fuisse, affirmant, ut sine claudicatione Esavo iret obviam, sed veriùs cum *Mercerò* inferat *Hornius, in Notis ad Sulpic.* totà vità ipsum claudicasse, praecipuis cum incurabilem luxationem coxendicum dicat *Galenus, l. 18. de Us. Part. c. 2.* futuramque necessariò cruris claudicationem. Difficilis etiam sit *Celsi l. 8. c. 2.* cum ibi valentissimi nervi musculique sint, si suum robur habent, vix admittant repositionem femoris, si non habent, postea non contineant) mos invaluit inter posteros ipsius, ut à carne illà musculosà, quae circa locum luxatum est, scilicet super acetabulum femoris, seu super femoris partem superiorem abstinerent; neque enim nervum luxari, propriè dici posse, Medici concedunt, sed hìc latitudinem femoris caput ossis femoris, quod suò sinu, sive vasto coxendicis acetabulò excidit, intelligendum docent, *Conf. Thom. Bantbol. de morbis Biblicis p. m. 3.* ubi simul exemplum talismodi luxationis adducit in Rhodiò quòdam Pataviensi, qui capropter, quanquam non malè repositum fuerit os, totò vi-

tæ cursu claudicavit, quæ verò nostra, tanquàm alienae nida-  
ginis, non facimus.

XIX. Equidem non putârim, consuetudinem hanc  
praeceptò quòdam divinò cautam esse, ut cibus in lege prohibi-  
tis annumerari debeat dictus ille sic nervus luxatus, seu ציד הנשה  
Cum verò à Maimon. in Hal. Melach. cap. 9. praeceptis Noachida-  
rum addatur, ita enim ille, enumeratis septem Profelytorum  
legibus, pergit: Praecepta haec ubiqve terrarum observaban-  
tur ad Abrahami usqve tempora, cui datum est praeceptum de  
circumcisione, ipse verò matutinas preces ordinavit. Post hunc  
Isaac separavit decimas, & לפנות היום *tempore meridianò orare*  
*docuit*; secutus de hinc Jacobus morem hunc, de nervò luxatò non  
*comedendò, introduxit, & vesperi precatu* est. &c. meritò etiam  
nobis hic inferitur. Vetitus autem erat ille nervus luxatus supe-  
rior sub poenâ flagellationis, ita, ut, qui ad olivæ quantitatem  
de illò comederet, more communi vapularet, qui verò adipem  
ejus, aliosqve nervos femoris interioris absumeret, rebellan-  
tium plagas pati deberet, imò bis caederetur, si de animalibus  
morticinis, laceratis, aut holocaustis nervus ille fuisset. De im-  
mundis autem animalibus nervò luxatò impunè vesci licebat.  
Vid. Maim. in Maacal. asur. c. 8. & Mischn. de rebus comm. c. 17.

XX. Praeterea quoqve carnes, quæ alioqvin licitæ e-  
rant ac mundæ, si cum lacte miscerentur, itidem erant prohi-  
bitæ, imò adeò ab illis sibi debebant cavere, ut ne coquere i-  
stas, aut vel ad minimum adhibere usum possent, sed sepeliren-  
tur, quod si negligenter, flagris puniebantur. Et haec etiam  
ratio est, cur haec cum lacte coqui in lege prohiberetur, id  
quod tam de bovinò foetu, quàm de agninò & caprinò intelli-  
gendum docent Magistri Hebraeorum. Neqve quoqve alia,  
de causâ carnem cum caseò in unò prandiò non apponebant, ju-  
xta Maimon. in Maacal. asur. cap. 9. f.

XXI.



XXI. Caeterum poterat unusquisque sibi, quemcumque volebat, cibum ipsemet reddere prohibitum, si nimirum votò aut juramentò, sese ab illò abstinere velle, voveret, & licet non pauca Sapientum extent praecepta, quibus temera illa vota cohibere student, ne à pluribus abstineant ultrò, quàm in lege jam vetita sunt, quale apud *Maimon. in דעות cap. 3.* habetur ולא יהא אוכר עצמו בנדרים ובשבועות על הדברים המותרים, quod est, si interpretemur: *Neque etiam votò se, aut juramentò privet illis cibis, qui aliàs liciti essent, tamen, ubi semel voverat, sanctè hoc servare debebat.* Nec parvi facere sectionem de votis, integrum erat, utpote propter quam occisum aliquandò fuit Synedrium magnum Ezechiae &c. Vid. *Echa Rabbei Thren. II. 10. Voisin pug. fid. 716.* Actunc non cuivis liberum erat, vota sua pro libitu restringere, & quod non placebat, ab iis excipere, e. c. qui à carne se abstenturum votò pollicitus erat, piscibus verò vescabatur aut locustis, fidem ruperat, hinc *Hieros. Nedarim. f. 40. 2.* הנוחר מן הבשר יהא אסור בבשר דגים וחגבים *Qui vovet de carne, ipsi etiam interdictus esto caro piscium & locustarum, quae omnia, si quidem illud nostri esset, jejunia Romanensium labefactare possent.*

XXII. Itaque non planè aberraverit, qui ad hanc classem quodammodo referat Phariseos illos, seu homines solitariam quandam, hypocrisi Christo maximè invisà, vitam eligentes, de quibus in *Bavà Bathrà fol 60. 2.* sequens historia recensetur. Nimirum cum templum Hierosolymitanum alterà vice destructum esset, numerus Phariseorum admodum auctus est inter Israëlitas, qui docebant, nullam amplius carnem à Judaeis esse comedendam, nullum etiam vinum bibendum. Commovit res inaudita R. Josuam, homines accedere, atque interrogare, quare adeò carnem evitarent, & à vinò abhorrent. En rationem! *Nosne carnem comedamus, quam*  
*olim*

olim in altari nostrò sanctò offerebamus, quae verò pietas nunc planè  
 desit? Aut, an nos bibamus vinum, de quò non amplius eò-  
 dem in altari libari nobis licet, quemadmodum ante liberum erat.  
 Rem absurdam Josua ostensurus, ita ferè respondit: *Stante ve-  
 rò hac vestrà bypotbesi, neque panem poteritis comedere, cum &  
 oblationes frumentariae deficiant; Abstinebitis à fructibus, cum nullibi  
 amplius oblatio primitiarum observetur; quine eandē ob causam aqua  
 quoque vobis erit vetita &c.* Denique ita concludit: Cum i-  
 gitur imperium Romanum, quod iniquitatis regnum vocat,  
 aspera sanè duraque fata contra nos meditetur ac decreverit,  
 quid nì etiam statuamus, **שלא לישא אשה** nullas amplius du-  
 cendas esse uxores, nullos generandos liberos, &c. Haec  
 tandem fore ratio genuina, quâ semen Abrahae vel  
 à se ipsò consumeretur. O igitur permittamus  
 Israëlitis, ut potiùs **שגגין** errantes,  
 quàm **מירין** praesumptuosi de-  
 prehendantur.

**TANTVM HAC VICE.**

**שלב**



99 A 6912

ULB Halle  
002 721 678

3



Sb.

VD 17

Recht o. Konn.







Q. D. B. V.  
**CIBOS**  
**HEBRAEORUM**  
**PROHIBITOS**  
**DISPUTATIONE I.**

expositos,  
**PRAESES,**  
**M. MICH. HENR. Reinhard /**  
& Respondens,  
**SEBASTIANVS Müller /**  
uterqve

Hilperhusâ-Francus,  
πlacido συμφιλολογῶντων Examine exhibebunt

*Ad D. XVI. Junii. Ao. 1697.*

WITTEBERGAE, Typis JOHANNIS HAKII.